menta, in fidei constituentis cautiam praestandi, susci-
piendi et dimittendi, [illegible] [illegible] Senten-
tias quaslibet suscipiendi, a iis susceptis appel-
landi Appellationesque etiam coram Sacra Maie-
state regia, prout necessitas tulerit, prosequendi
omniaque et singula alia faciendi, agendi, petendi
quae ipsemet principalis adesset ageretque

Ex actis ad
[illegible] Crac.
descript.

1556 –

Martinus Weiherus Episcopus Camminensis,
obiit Ao 1556. 8. Oct.

In tumba hi inveniuntur Versiculi.

Hoc tumulo placide Martini membra quiescunt
 Weigeri, de quo pauca viator habe:
Stemmata si clarum faciunt et nomen avitum
 Hic multos inter summus habendus erit.
Salvifici magno verbi flagrabat amore
 Volvebatque sacros nocte dieque libros.
Et quod praecipuum dicas in Praesule munus
 Inspector Christi fidus ovilis erat.
Multa piis verbi praebebat dona ministris
 Et qui Musarum sacra theatra colunt
Non hoc justiciae non pacis amantior alter
 Non ad congressus promptior alter erat,
Eloquio multum patrio in sermone valebat
 Et poterat prompte verba latina loqui.
Imprimis casti mores et vita fuerunt
 Cavit ne potu languida membra forent
Cetera praetereo, quae si numerare studerem
 Non foret hoc saxum parvaque charta capax.

Sed postquam nobis septenos praefuit annos
 Ultima tam clarum fata tulere virum
Nec dubium est nobis superum quin luce fruatur
 Aeterni faciem cernat et ipse patris
Unice mortalis generis pie Christe redemptor
 qui λόγος aeterni diceris esse patris
Nostra tibi semper sit summae Eccl[esi]a curae
 Tu sacro flatu pectora nostra rege.

Joach: Willichius P. C.